



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118480

§. 39. Zwinglii opinio de Evcharistia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66472)

Sæcul. XVI. A.C. 1526. tores tunc novi sui Testamenti exemplaria in regnum invehere minime auderent.

§. XXXIX.

Zwinglii opinio de Eucharistia.

*Sleid. l. 3.
p. 160.*

Interea Zwinglius se Lutheri Discipulum appellari indignatus, ipse novæ sectæ auctor esse constituit; cumque jam antea Orthodoxæ fidei dogma de Transubstantiatione in Eucharistia impugnasset, nunc quoque realem præsentiam, quam Lutherus admittebat, aggredi, & explicationem, quam Carolstadius ad negandum hoc mysterium adhibebat, eludere moliebatur; Carolstadius enim ad figuras recurrit, docuitque, hoc verbum *Est*, quo Christus in verbis Sacramenti usus est, idem esse, ac *significat*. Zwinglius vero & Oecolampadius diverso paululum modo rem explicabant, de cetero inter se conspirabant, hæc verba: *Hoc est corpus meum* esse figurata. Zwinglius enim assererebat, quod hæc particula *Est* accipiatur pro *significat*, Oecolampadius autem tenebat, in verbo *Corpus* hunc esse sensum; *hoc est figura corporis mei*. Huic sententiæ accesserunt Argentinenses, ac Bucerus & Capito eorum Duces pro aris & focis figurati sensus errorem tuebantur. Ab eo tempore spurix reformationis sectatores

tores in diversas scindebantur factiones Sæcul. XVI. A.C. 1526.
 ac sectas, unde illi, qui novæ huic doctrinæ adhærebant, appellabantur Sacramentarii seu Zwingliani, eo quod Zwinglius omnium primus figurato sensui a Carolstadio excogitato suffragatus, ceteris auctoritate valeret. In hac Zwinglii sententia nec miraculum, nec aliud quicquam, quod naturali lumine comprehendere non posset, in Evcharistia intervenit, panis fractus, inquebat, nobis repræsentat corpus Christi immolatum, vinum vero sanguinem effusum; Christus instituendo hæc signa rei nomen illis dedit; nec tamen propterea omnino nuda esse signa ajebat, eo quod recordatio & fides Corporis immolati, & sanguinis effusi nostram animam corroboret, & Spiritus sanctus in cordibus nostris remissionem peccatorum confirmet. En! ad quas tandem nugas totum hoc Mysterium restringant Zwinglii Sectatores.

§. XL.

Zwinglii liber de vera, & falsa Religione.

Anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo sexto Mense Martio Zwinglius tractatum edidit *de vera, & falsa Religione*, quem Francisco I. Galliarum Regi nuncupavit. In eo sententiam suam